



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

III. Peregrinationis votum redimi potest.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
 CHRISTI
 1179.

tus, accepit. Vnde super eo de quo consilium nostrum postulasti, sic duximus respondendum, vt si hoc non est publicum, sed secretum, eundem sacerdotem secreto conuenias, monens eum, sine vlla tamen coactione, propensius & inducens, vt ordinem alicuius religionis assumat, & perpetuo ab officio, quod ita illicite acquisiuit, abstineat. Si vero ad religionis ordinem assumendum forte inducere non poteris, studeas ei ad sustentationem aliquod ecclesiasticum beneficium constituere, ad hoc, vt debeat officio sacerdotali sponte in perpetuum abstinere, alioquin non erit tutum, cum sit secretus excessus, ipsum inuitum ab eodem officio coercere. Sed tamen poenitentiam secretam secundum quod tibi visum fuerit, iniungere non postponas.

C A P. III. *Idem eidem.*

De peregrinationis votis, an eleemosynis redimi possint, vel per alium pro necessitate adimpleri, tibi respondemus, quod ab eius qui præsidet, dependet arbitrio, vt consideret diligentius & attendat qualitatem personæ & causam commigrationis, seu id ex infirmitate, siue affluentia contingat diuitiarum: & vtrum peregrinatio, an recompensatio vtilior fuerit, & Deo magis accepta, & secundum hoc debet exinde dispensare.

Pars capituli, Memimus.

C A P. IV. *Idem archiepiscopo Cantuariensi.*

Quod autem consuluisti, vtrum remissiones, quæ fiunt in ecclesiarum dedicationibus, aut conferentibus ad ædificationem pontium, aliis profint, quam his qui remittentibus subsunt: hoc tuam discretionem volumus firmiter tenere, quod cum a non suo iudice nullus ligari valeat vel absolui, remissiones prædictas illis prodesse tantummodo arbitramur, quibus vt prodesse, pastores proprii specialiter indulserunt: & in hoc intelligas eam quæstionem solutam, in qua quæritur, vtrum is qui excommunicato communicat, a non suo episcopo absolutionis gratiam debeat implorare.